



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio LXXXVII. Christus crucifixus nos animat, ut crucem nostrum  
alacriter feramus, si volumus gloriæ ejus esse participes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

CONSIDERATIO XCVII.  
 Christus & hic crucifixus nos animat, ut  
 crucem nostram alacriter feramus, si volumus  
 gloriæ ejus esse participes.

*Hac oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam  
 suam. Luc. 24. 26.*

1.

1. Reg. 17. 16.

**Q**uid dabitur viro, qui percusserit Philistaum hunc, & tulerit opprobrium de Israel? Quarebat quondam David puer pastoricius, ubi cum Goliatho immani illo gigante in duellum & arenam volebat descendere; Et respondebant illi Israelitæ: *Virum qui percusserit eum, dicabit Rex divitiis magnis, & filium suum dabit ei.* Hos ubi audivit sermones David, spe tanti præmii illectus & animatus, sine mora statuit cum dicto gigante congregari, & fastulæ ac arrogantia illius sese pro viribus opponere; sciebat enim, quòd si victor contra hunc Colossum existeret, è pecorum stabulo ad regia transiturus esset palatia, & ex pauperculo pastore futurus esset Regis gener. Ecce spes præmii & retributionis huic juveni animum addidit, ut se mortis periculo exponere non dubitaret.

S. August. in  
 Man. c. 16.

O homo, ait S. Augustinus, *venale est regnum cælorum, aliud non querit pretium: nisi te ipsum: tantum valet, quantum es. Te da & habebis illud.* Proinde egregiè decertandum tibi erit cum hoste infernali & vitiis. Et ecce præcessit Christus Filius David cum baculo crucis, qui animat te, monstratque viam, quâ sit eundem, ut ad illud immensum præmium, & immarcescibilem æternitatis gloriam & coronam pervenias, de qua Paulus, qui per modum tantum transeuntis illam paradisi gloriam viderat: *Existimo, quòd non sunt condigna passionis hujus temporis ad futuram gloriam, qua revelabitur in nobis.* Ubi bene & attentiore mente observanda sunt verba illa: *Hujus temporis*, quia si à condito mundo incepisses patiturmenta omnium SS. Martyrum, & ea usque ad finem mundi pateris: *Non sunt condigna ad futuram gloriam passiones hujus temporis, nisi in*  
 quan-

Rom. 8. 18.



quantum valorem à crucifixi JESU Sanguine accipiant, quia finiti ad infinitum nulla est proportio; juvat hic pro solatio nostro audire S. Bernhardum: Fateor, inquit, non sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum obtinere caelorum. Caterum Dominus meus duplici jure illud possidens, hereditate Patris ac merito passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat. Ecce quid sint merita crucifixi JESU! Et quis in illis non speret ad impetrandum gratiam finalem, quæ in nullius cadit meritum?

2. Negotiator ille Evangelicus, qui bonas quæsierat margarithas, pro una inventa pretiosa vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam. Negotiator ille expertissimus Salvator noster est; illa margaritha anima cuiusque hominis, item felicitas æterna ineffabilis & incomprehensibilis pretii, pro his Incarnata Sapientia dedit omnia quæ habuit, animam, corpus, sanguinem, vitam & honorem, quia cum sceleratis reputatus est, imò quidquid dolorum in passione sua & per omnem vitam sustinuit; factusque est adeo pauper, ut neque in vita, neque in morte habuerit, ubi caput reclinaret. Vide ex hoc quàm caro pretio Christus suam gloriam & regnum caelorum, animamque tuam emere voluerit: Sic oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam. Et tu delicate miles quid agis? Nunquid in omni cruce & tribulatione hunc tuum divinum ducem sequi oportet? An aliud tibi caelum DEUS pinget? Audi S. Thomam Villanovanum: Momentum tibi erit vita præsens, si oculos dirigis ad æternum præmium: transit cito quod cruciat, permanet in æternum, quod coronat.

3. Moyses typus Christi magis elegit affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem. Erat is in aula regia Pharaonis inter delicias educatus, sed grandior factus subito purpuram cum sacco mutavit, & pauperrimus opilio factus est: Majores divitias astimans thesauro Ægyptiorum improprium Christi, quem jam tunc temporis ævo prævidit passurum, & pro salute generis humani crucifigendum: Moyses, ajunt Ribera & Cornelius, partim ex fide & traditione Abrahæ, aliorumque Patrum cognoscens Christum pro genere humano passurum, partim spiritu prophetico prævidens speciatim injurias & opprobria illi à Judæis inferenda; ut Christo patienti similis fieret, maluerit pati, affligi & opprobriis affici cum Hebræis, quàm honoribus & opibus abundare in aula Pharaonis: hoc enim propriè est, & dicitur improprium Christi. Et addit Scriptura: Aspicebat enim in remunerationem, hoc est ad æternam gloriam, quæ cogitatio illi calcar addidit ad fortiter & alacriter patiendum, quia melius est hic ad modicum tempus cum Christo pati, quàm æternum esse miserum ac damnatum: Ego, dicebat DEUS ad Abraham, ero merces tua magna nimis.

Zz 3

4. Vidit



4. Vidit dilectus ille Christi Discipulus civitatem Sanctam Jerusalem in forma non sphaerica & rotunda, sed quadrata: *Et civitas in quadro posita est.* Et cur in quadro? an non mundi hujus universa moles in figura rotunda consistit? R. S. Bonaventura: *Quadratum figurat soliditatem & securitatem illius regni.* Et hoc quidem verum est; sed aliam inquiror rationem: Forma quadrata crucem facit, qui ergo ad caeleste regnum pervenire discupit, crucem sequatur, per crucem enim venit ad lucem, & neque DEUS tibi, o mi Domine Lector, ad illam caelestem civitatem obtinendam aliam viam pinget: *Fieri non potest, ait S. Chrysofostomus, non potest, inquam, fieri, ut, qui his in socordia, securitateque vixerit; qui in deliciis omnibus assidue dies consumpserit; qui temere, neglecteque transegerit aetatem; illic honorem consequatur.* Fieri non potest.

Math. 7. 13.

5. Vox aeternae Veritatis est: *Intrate per angustam portam: quia lata porta & spatiosa via est, quae ducit ad perditionem: Et multi sunt, qui intrant per eam;* Et ut majorem Dominus excitaret verborum suorum emphasin, ac nostris altissime imprimeret cordibus, de novo illa verba repetiit, ut si ferio animam nostram salvare velimus, arctam viam capessamus: *Quam angusta porta & arcta via est, quae ducit ad vitam: Et pauci sunt, qui inveniunt eam.* Et quem, obsecro, Christianum haec Christi verba non terreant, non moveant? Unde ulterius pergit apud Lucam: *Contendite intrare,* Graecus textus habet: *Agonizate,* & extremas vires, velut agonizantes & in stadio currentes, exerite, ut comprehendatis.

vers. 14.

Hoc transmissio, venio ad alium textum, quem eadem Veritas mortalitati humanae ponderandam reliquit: *Tollite jugum super vos -- jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Ecce quomodo, obsecro, ista duo conveniunt? Angusta porta & arcta via est, quae ducit ad vitam, & pauci qui inveniunt eam; Econtra jugum meum suave est & onus meum leve? Ergo levis & suavis ad coelum via est?

Euthym, hic.

R. Euthymius has sententias, quae primo intuitu videntur contrariae, pereleganter concilians: *Onus, inquit, praeceptorum leve ob spem aeternorum bonorum, virtus quidem gravis est ob laborum molestiam, levis autem propter retributionem.* Ecce praemium caeleste & merces sempiterna omnes difficultates nobis solent indulcorare, ut eo facilius per angustam portam & arctam viam ad caelestem nostram patriam, ad quam creati sumus, possimus penetrare.



6. Ubi mitissimus Salvator Christus in deserto quinque panibus & duobus piscibus quinque hominum millia satiavit, volebat ille populus eum facere Regem: *Jesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent, Jo: 6. 15. ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus. Sed cum esset in horto Olivario, comprehensores suos non fugit, sed ultrò obviam ad illos progressus est, interrogans eos: Quem quaeritis? Et quare hoc?*

R. Simon Cassianus: *Ided hic non fugit, quia praparabatur ad crucem, è qua erat regnurus. In deserto ad regnum quarebatur, sed sine cruce. Noluit regnare absque crucis gloriosa ignominia. Crux enim Servatori nostro coeleste regnum & summam gloriam peperit: Regnavit à ligno Deus.*

Finem huic considerationi imponat S. Forannanus Episcopus, de Arnolph. quo refert Arnolphus Rayssius, quod è Belgio cum 12. Sociis ad mare Rayssius in re profectus sit, rectà in Galliam, verbi divini disseminandi causà, Hierogazophilacio Belgico. navigaturus; verùm nec nautam, nec navim in littore invenit. Quid hic S. Forannanus? Ad DEum oculos & mentem erigit, consilium & opem rogat; Et ecce ex improvise quatuor trabes, seu ligna oblonga in modum crucis compacta ad littus adnatant. Quid multis? Forannanus ope divinà fretus primus ad hanc navim se demittit, in medio crucis securè consistens, & læta voce illud Davidicum decantans: *In mari via tua, & semita tua in aquis multis. Hunc S. Psal. 76. 26: Episcopum suum securi sunt & cæteri duodecim itineris & laborum Socii, quorum tres & tres in qualibet crucis extremitate stabant, sic aurà Spiritus Sancti feliciter flante intra paucas horas felicissimè in Galliis appulerunt. Si vis per hoc mare magnum & spatiosum hujus mundi ad portum cœli pervenire, navem crucis ascende.*



CON.